

24<sup>a</sup>

HEV  
 OPTIME . NOSTER . ARCHIEPISCOPE  
 PIO . MAGNO  
 TECVM . PERPETVAM . EXOPTAMVS . PACEM  
 SVORVM . TIBI . MVNERVM  
 IN . AMORIS . PIGNVS  
 IMMEMORES . NVNQVAM

25<sup>a</sup>

PIO . MAGNO  
 REGI . ET . PONTIFICI  
 PARENTALIA

*Comada Maxón.*

PARENTALIBUS

PII IX. PONT. MAX.

ORATIO

A IOACHIM. M. DIAZ ET VARGAS

MEXICANÆ ECCLESIAE METROPOLITANÆ

CANONICO

et Illmi. ac Rmi. D. Archiepiscopi V. G.

HABITA

IN EADEM MEXICANA BASILICA

Die 3. Aprilis. A. D. 1878.



---

*Ipsum enim elegit Dominus.*

DEUTER. XVIII. 5.

I.

Mirum videri non debet, me, hodierna luce, adstantibus vobis, Auditores amplissimi, his praeclaris uti verbis, cum ad ea, quamvis impar, venio peragenda, quae non solum grati animi, sed maximi etiam doloris propria, optimo jure censentur. Quid enim dignius peramantibus filiis, quid justius, quam Patris dilectissimi, paulo ante amissi, memoriam renovare? Quid sensuum nostrorum vim interpretari melius posset, quam laudis vox crebris lacrymis perfusa? Quid cordi nostro, et gratius, et nobilius, quam hos ex praecordiis funereos honores exhibere? Proh dolor! Qui solamen erat nostrae lugendae tempestati, qui longos per annos, Servatoris Nostri vices terris optime gessit, qui fidelis populi spem, verbo et exemplo, aluit et auxit, qui denique, in domo Dei Sacerdos magnus praefulsit, e vivis tandem sublatus est. . . . . et cum ipsi datur quietem, et pacem, et gloriam immortalem adipisci, nobis . . . . . infandum! . . . . . tot inter, quibus jactamur, procellas, ablatus est ille, quem nunc moerentes desideramus. Hæc sane est, a Su-



premo Conditore rerum humanarum lex constituta, ut omnia finem habeant, cum Unus Dominus Deus aeternus sit: et tamen haec etiam est mentis nostræ natura, ut bono, quod semel novit, ac experta est, totis adhaereat viribus, eoque nolit orbari. Quoties evanescit laetitia, et quoties deficit animus, tum ex fortunæ vicibus, tum etiam ex eorum brevitate, quæ nobis perpetua videbantur!

At vero, si aliquando a nobis altum dolorem flumenque lacrymarum postulat justitia, proculdubio est hodierno die, quem honorabilem facit haec magna honoris et laudis posthuma significatio, quam perillustri Pio, dulcissimo Patri, et Maximo Ecclesiae Pontifici, tribuere atque offerre, jure ac merito debemus. Unicuique vestrum, Auditores amplissimi, maximè cognita sunt omnia, quæ ipsum non modo commendant, et saeculorum memoria commendabunt, sed etiam singula, quæ ipsius nomen et facta in coelum extollunt. Obstupescant posterius certe plurima verba, dogmaticas definitiones, prudentiam, liberalitatem, fortitudinem, praeclarissimi Pii IX eximios audientes et legentes triumphos. Mihi autem, ut recte munus exequar meum, vestrisque lacrymis dignum offeram solatium, nihil aptius videtur, quam praeconium hoc iterum atque iterum inculcare: *Ipsam elegit Dominus.*

## II.

Illme. et Rme. Domine.

Quos omnes a nobis filialis pietas et insignis virtutis admiratio postulare creduntur honores, non satis prius digni sunt, quam eosdem veritati ac justitiae tribuendos esse fateamur. Et quidem, nemini dubium esse potest, quin vera virtus, magna sapientia, summaque rerum auctoritas, simul coexistentes, ita nostrum in-

cedant studium, ut impossibile omnino sit, nos ab amore, plaudendique animo abstinere; sed, ut verum dicam, et meritum, et gloriam alicujus, qui nobis charus fuit, non videntur majora, nec laude digniora, nisi atra mortis umbra, certa quadam ratione, eadem, vividiori luce, praeferre faciat. Quid autem mihi dicendum in praesentiarum, cum mors, durissima atque irrevocabili lege, optimi Pontificis diuturnam et gloriosam extinxit vitam? Tota luget Ecclesia, universi lugent filii, cuncti lugent cives, a munificentissimo Pio beneficiis cumulati; quoniam amplius non sunt visuri Patris manum subsidia omnibus praebentem, nec vocem audituri aequum et justum praecipientem. Sic ergo, Audientes charissimi, emortuo, quem lugemus, dilectissimo Pio, magis decora nobis ejus apparet memoria, atque fulgentior imago.

Hoc ipso, quo me videtis, spectabili loco, plerumque laudatae sunt civium virtutes, ob praeclara in patriam, vel societatem merita; hic magna laus exornavit clarissimos duces, qui, post multos ac laudabiles triumphos, bello partos, in armis occubuerunt; hic semel atque iterum rerum mundi vanitas, mortisque potentia, clare patefactae sunt; sed vos, ut recordemini, quaeso, nullam ex omnibus, quaecumque fuerint, causis, ad enarranda et commendanda hominum facta, non dicam sublimiorem, sed nec aequalem quidem, existimari posse, eâ, quæ nunc offertur, virtutis et gloriae memoria, sive spectetur objectum, sive laudandi ratio prae oculis habeatur.

## III

Qui futurus erat saeculi nostri decus, Joannis nomine insignitus fuit, dum Senogalliae, vertente superiori saeculo, nobilem ortum habuit. A teneris annis, non modo pietatis studio, sed etiam animi aequitate, futurae celsitudinis specimen dedit: litterarum enim



ardore correptus, ad eam brevi pervenit scientiae perfectionem, qua dignus effici meruit, ut a gravi morbo, Deiparae ope, liberatus, se ipsum Dei famulatui, ac sacerdotio consecraret. Nec praetereundum est, ipsum, tanta dignitate potitum, ad Episcopalem etiam, Numine Supremo dirigente, convolasse: et in regendis Ecclesiis tam Spoletana, quam Fori Corneliensis, omnem curam adhibuisse. His veluti gradibus, altissima Dei Providentia ducebat Sacerdotem magnum, quem elegerat; ut tandem opportuno tempore Pontifex magnus, nomine Pius, gestisque rebus piissimus, fieret, et existeret. Triginta et duobus abhinc annis, evectum vidimus ad summi Pontificatus apicem, magna virtute et egregia fortitudine praeditum Pontificem, cujus nomen saeculorum memoria vigeat, cujus opera mundum, longe lateque implent universum; cujus gloriam a fidelibus cognitam, etiam inimici confitentur. Nobis igitur, maximae Deo agenda sunt grates, quod eo tempore extiterimus, cui, per tantum Pontificem, Infinita Dei sapientia tot tantaque munera lucis et gratiae, concedere voluit; sed minor esse non debet, immo longior oportet ploratus, ob illius amissionem, quem melioris temporis pignus, omnes recte nuncupavimus. Nos haec omnia docent Domino Deo, voluntatem esse demonstrandi, eos etiam, qui maximo pollent honore, orbique praesunt, ut vitae, munere fungendo, sic et morti, terram relinquendo, inservire; mortis enim cogitatio magis nobis inest, cum eorum mortem, quos vitam optabamus degere, deploramus.

## IV

Pius Pontifex, vix primi principatus fuit compos, in ea intendit animum, quae, temporis ratione, et Ecclesiae utilitate, sunt ei visa potiora: vetus mundi infremuit hostis, multaque fecit in Ec-

clesiae perniciem; sed Sacerdos aeternus, qui non sinit inferi portas praevalere, dilectum Pium, e Roma in Caietam exulantem, iterum Romam reduxit. Caietae vero, immortalis Pontifex initium fecerat rei, quam omnis spectabat Ecclesia: omnes scilicet catholici orbis rogaverat Pastores, ut ad proclamandum, et definiendum Deiparae Virginis Immaculatum Conceptum, quod tunc temporis una pietas credebatur, suum ferrent, atque ostenderent iudicium. Qualis autem, et quanta fuerit, insignis Pontificis iucunditas, in suscipiendis litteris ad eum missis, ex omnibus orbis christiani regionibus, ab Episcopis, una cum ipso eandem sententiam indicantibus, est equidem dictu perdifficile. Itaque, universo plaudente orbe, dies tandem illuxit auspiciatissima, qua primordiam ac triumphalem Deigenitrici gloriam firmiter sancivit; et propter hoc, mihi affirmare liceat, quemadmodum omnes generationes Mariam Deiparam beatam dicent, sic etiam Nostrum Venerandum Pium, omnia secula quae venient, pariter beatum vocatura.

Ita magna sunt haec, ut, dum animo revolvimus, quo tendere debeamus, nobis dubium sit; cum nostra mens nesciat, an fletui, an potius admirationi, adhaerere oporteat. Et sane quidem, impossibile est in memoriam revocare infaustam Pontificis mortem, et magnalia ab ipso peracta silentio praeterire: estque nobis dicendum, unumquemque venturum diem, ad omnium usque finem, novam ejus operibus allaturum laudem. Ut paucis multa complectar, mihi credite: quoties in posterum de charissimo Pio, qui nobis tot per annos, Pater fuit, cogitemus, toties de maximis ejus beneficiis, toties de incredibili fortitudine, toties de singulari in omnibus rebus sapientia, cogitabimus, quae non modo summa bona, sed nimirum audebo vel sola dicere.



## V

Quicumque adestis, mecum mirari tenemini hujus saeculi maximum, vereque memoriae dignum opus, cujus initium fecit ipse Maximus Pontifex, cui, si alia deessent honoris immortalis munera, una sufficeret Oecumenica Synodus, quam indixit. Tantus est enim splendor in sanctionibus ibi traditis, tanta in Sedis Apostolicae auctoritate definita dignitas, ut infallibile Summi Pontificis Magisterium, de fidei morumque rebus docentis, ei revera divinitus concessum, semper semperque credatur. Praeterea, obrui nequit silentio, hunc magnum veritatis Magistrum, gregem sibi commissum a mendaciis aversurum, nihil antiquius habuisse, quam ut pessimi recentiorum errores, Syllabo congesti, damnarentur, maximeque religioni ac societati exitiales ab omnibus haberentur.

Sed quid plura? Et mihi et vobis certum est, quem amissimus Pium, omnia et singula Domini praelia, militem invictum praeliasse, ipsiusque vocem, sive mendaces confringentem, sive fideles adhortantem, saepe saepius exauditam, eandem fuisse ad orbis terminos delatam. Pro tuendis Ecclesiae juribus, multa pertulit, multa docuit, multa exercuit, quibus non animi dumtaxat magnitudo, sed singulare coeli praesidium, fuerunt pernecessaria. Suae postremis vitae annis, se maximum praebuit patientiae et magnanimitatis exemplar: cum enim Romae Dominus esset ac Rex, multorum sensit perfidiam; atque domo Vaticana inclusus, non nisi verba protulit, dilectionis et pacis. Sed tamen, quod non fuerat auditum a saeculo, Deus Optimus Maximus, qui consolatur humiles, Pium ibi absque solatio non reliquit, immo autem maxima consolatione recreavit; et ex dissitis etiam populis, remotissimisque regionibus, Episcopi et gentes Romam quotidie petiere, optimum Patrem videre cupientes, ejusque verba exaudire postu-

lantes; adeo ut Summi Pontificatus potentia, apparenti rerum, hominumque humiliatione, magis resplenduisse videatur, Nosterque Pius merito cum Divo Paulo dicere potuerit: *Cum infirmor, tunc potens sum.*

## VI

Si quid amplius a me, Auditores ornatissimi, exigere cogamini, id solum addendum existimo, ut, Maximi, quem ploramus, Pontificis, insignem erga nostrates benevolentiam, continuo recordemini. Quoties audivimus eum, suam nobis benedictionem impertientem! Quoties nostros, et Episcopos, et cives, hospitio recepit! Quoties de singulis cujuscumque rebus, et adjunctis, paterna solitudine interrogavit!

Sed tandem, unde est orsa, in eodem oratio terminetur. Nostri profecto est, in tanti viri memoriam, lacrymas profundere; spem autem firmissimam habemus fore, ut, quae semper ei dilecta fuit, Deipara Virgo, omnibus vitae diebus, ipsa sit post mortem, non modo clemens mediatrix, sed magnum etiam in coelis praemium.

R. I. P.